

*MASTER  
NEGATIVE  
NO. 91-80050-4*

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the  
“Foundations of Western Civilization Preservation Project”

Funded by the  
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from  
Columbia University Library

## COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:*

BUECHELER, FRANZ

*TITLE:*

DE TI. CLAUDIO  
CAESARE GRAMMATICO

*PLACE:*

ELBERFELDAE

*DATE:*

[1856]

Master Negative #

91-80050-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES  
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87C58  
DB

Buecheler,  
Buecheler, Franz, 1837-1908.

De Ti. Claudio Caesare grammatico; commentatio  
philologica quam... publice defendet scriptor  
Franciscvs Buecheler... Elberfeldae, typis ex-  
scribendum curavit R.L.Friderichs, [1856]

22 p. 22 cm.


Thesis, Bonn, 1856.

59847

Restrictions on Use:

-----  
TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x  
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB  
DATE FILMED: 6/20/91 INITIALS F.C.  
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





**AIM**

**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100  
Silver Spring, Maryland 20910




301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS  
BY APPLIED IMAGE, INC.

Bücheler  
De Caesare gramma-  
tico

87C58  
DB

87058

DB

Columbia College  
in the City of New York



Library.



DE  
**TI. CLAVDIO CAESARE**  
**GRAMMATICO**

**COMMENTATIO PHILOLOGICA**

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM  
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA  
RITE OBTINENDORVM CAVSSA

VNA CVM THEMATIS

**DIE XIII MENSIS MARTII ANNI MDCCCLVI**

PVBlice DEFENDET SCRIPTOR

**FRANCISCVS BVECHELER**

RHENANVS BORVSSVS

REGII PHILOGORVM SEMINARII SENIOR

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

ANTONIVS KLETTE PHIL. DR.

GVSTAVVS BECKER SEM. PHILOL. SOD. ORD.

ADOLPHVS KIESSLING SEM. PHILOL. SOD. EXTRAORD.

**ELBERFELDAE**

TYPIS EXSCRIBENDVM CVRAVIT R. L. FRIDERICHVS

AIBULLIO  
VTI2XVIMU  
VRA88LI

ELBERFELDAE  
EXPRESSIT SAM. LUCAS.

13 OCT 97 97

JUL 27 1897

Quantum ad Latinam linguam conformandam atque excolendam inde ab antiquissimis temporibus grammaticorum valuerit ars et doctrina, nostra demum aetate patuit, qua singulas literarum Latinarum commutationes a literatis singulis factas esse perspeximus. Sp. enim Carvilius Rugae lib. et G consonantem in literarum ordinem adscivit et ex O et E vocalibus in V et I sonos vicissitudinem videtur effecisse. Ennius hexametro versu a Graecis assumpto geminavit consonantes. Attius A E V longas AA EE VV scripturis expressit, in I longae vicem EI substituit, V vocali Q praeposuit pro C aut K. Lucilius Attio adversatus aliam esse I tenuem voluit quae sola I litera, aliam I pinguem quae aut una I aut EI literis scriberetur. Iulium Caesarem non modo probabile est in morem apices perduxisse quibus productio vocalium notaretur, sed etiam declinandorum verborum formas novasse comperimus. Haec exempla et similia si spectamus, non mirum nobis videbitur quod Ti. Claudius Caesar, homo 'neque infacundus neque indoctus, imo etiam pertinaciter liberalibus studiis deditus', linguam Latinam excolendi studio incensus novis literis auxit. Quod cum Suetonius rettulit Claud. XLI 'Novas etiam commentus est literas tres ac numero veterum quasi maxime necessarias addidit, de quarum ratione cum privatus adhuc volumen edidisset, mox princeps non difficulter obtinuit ut in usu quoque promiscuo essent', tum Tacitus, cui digna res visa est propter quam ad literaturae originem historiamque degrederetur, annal. XI 13 'ac novas literarum formas addidit vulgavitque, comperto Graecam quoque literaturam non simul coeptam absolutamque' et XI 14 'Quo exemplo Claudius tres literas adiecit e. q. s.' Verum Claudii inventa quamvis utilia literis Latinis fuissent tamen non aequae atque Carvili et Ennii et aliorum permanserunt. Nam cum quos supra dixi grammatici ne Caesare quidem excepto ea potissimum auctoritate sustinerentur quam studiis

235061

artium atque doctrina sibi constituerunt, Claudius maxime Augusti nomine potentiaque imperatoris ut inventa sua quoad regnaret in usu essent obtinuit. Deinde quia multis rebus publice gestis insanum se Claudius et amentem praestabat, etiam ea quae bene scienterque fecit contemnebantur et pro nihilo ducebantur. Tum Augustea aetate ad eam Latina lingua absolutionem perfectionemque perducta erat, ut nunquam postea singulis contingeret viris gravitate vel auctoritate pollentibus, ut si quae corrigebant ea more recepta inveterascerent.

Claudianae litterarum formae postquam a superioribus philologis partim neglectae omnino partim perquam breviter perstrictae sunt, ut accuratius aliquanto investigarentur, philosophorum in Bonnensi academia ordo nuper proposita 'de Ti. Claudio Caesare grammatico et antiquario' quaestione auctor fuit. Cuius solvendae periculum facturum quem libellum conscripsi, cum ornatus praemio sit, emittere nunc in vulgus eo minus dubito, quod fortasse aliorum qui circa grammaticam et epigraphicam artes versantur studia concitabit, quibus ut ab omni parte res transigatur opus est. Siquid vero in hoc libello boni inest, id omne profiteor Friderico me Ritschelio debere, qui cum sana disciplina grammatica huiusmodi argumenta qua ratione tractanda forent me instituerit, tum idonea ad hanc ipsam quaestionem subsidia benigna mihi liberalitate accommodavit.

## Caput primum.

Inter novas litteras quas Claudius in litteraturam Romanam induxit notissimum est digamma. Quod e recentioribus grammaticis praeter Taciti et Suetonii interpretes imprimis egerunt Ger. Io. Vossius Aristarch. I 24 p. 71 Foertsch., Frid. Ruhus specim. I philol. numismatico-lat. p. 35, Nahmmacherus de literat. Rom. p. 203, Conr. Leop. Schneiderus gramm. lat. I p. 4. Veterum autem scriptorum testimonia ut plus minus habent auctoritatis ita composita haec sunt:

Priscianus instit. grammat. I 4, 20 p. 15 Hertz. 'V vero loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Aeolis digamma. Unde a plerisque ei nomen hoc datur, quod apud Aeolis habuit olim F digamma, id est VAV, ab ipsius voce profectum teste Varrone et Didymo, qui id ei nomen esse ostendunt. Pro quo Caesar hanc  $\text{V}$  figuram scribi voluit; quod quamvis illi recte visum est, tamen consuetudo antiqua superavit.' Scribendum est 'Pro quo Claudius Caesar', quod nomen cum Priscianus fortasse CL. notasset (cf. var. lect. Plin. natur. histor. V 1, 2 et 3) facile librarii praetermiserunt. Nam Ti. Claudium, non C. Iulium quem 'Caesar' si nude ponatur interpretemur necesse est, digamma illud invenisse Quintilianus et inscriptiones declarant. Neque in nomine commemorando per inscientiam Priscianum errasse credemus, quippe qui ne antisigma quidem, alterum inventum Claudianum, plerisque incognitum ignoraverit.

Quintilianus instit. orat. I 7, 26 'Nostri praeceptores SERVOM CERVOMque V et O literis scripserunt, quia subiecta sibi vocalis in unum sonum coalescere et confundi nequiret; nunc V gemina scribuntur ea ratione quam reddidi: neutro sane modo vox quam sentimus efficitur. Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam ad hos usus litteram adiecerat.'

Gellius noct. attic. XIV 5, 2 'Nam DIVVS et RIVVS et CLIVVS non VS syllaba terminantur, sed ea quae per duo V scribenda est, propter cuius syllabae sonum declarandum reperta erat nova litera quae digamma appellabatur.'

Ad eandem literam a Claudio inventam Quintilianus etiam XII 10, 29 his verbis respicit 'Aeolicae quoque literae qua SERVVM CERVVMque dicimus etiamsi forma a nobis repudiata est, vis tamen nos ipsa persequitur.'

Rationem quam digamma a Claudio inventum habeat haud difficile indagatu est. Nam Romanis similiter atque decimi septimi saeculi philologis maximopere hoc videtur incommodasse, ut V consonantis et V vocalis discrimine carerent. Quae molestia Claudii aetate multo magis quam antea in oculos incurbat et tanquam adpectu sentiebatur, quod cum superioribus temporibus O vox ante et post V consonantem scriberetur, velut VITROVIVS VOLGVS, inde ab Augustea fere aetate V vocali uti coeperunt, velut VITRVVIVS VVLGVS. Idecirco Claudius ad eam cogitationem deductus est, ut novam formam inveniret qua V consonans significaretur. Atqui cum F digammon quae apud Graecos reliquosque Italos illi sono serviebat iam olim commutata significatione Romani recepissent, prudentissimum Caesar hoc consilium secutus est ut inversam F induceret. Quam Quintilianus quidem Aeolicam literam per eloquendi circuitum vocavit, verum digamma appellatam esse diserte Gellius affirmat. In posterum igitur doctos viros speramus fore destituros digamma usurpare Aeolicum, quod nomen et per se falsum est neque auctoritate fulcitur nisi M. Valerii Probi quem dicunt 'de notis' pag. 1507 Putsch. 'F pro V . ut SERFVS . FVLGVS . FIXIT . pro servus . vulgus . vixit . et digamma Aeolicum appellatur' et Petri diaconi 'notae literarum' p. 1587 P. 'Item digamma Aeolicum F, ut in multis sepulcris . SERFVS . FVLGVS . FALE . FIXIT.' Sed fidem his notarum commentariis propterea denegamus quod Mommsenius nuper ex inscriptionibus Latinis collectos ab eis esse demonstravit qui per medium aevum epigraphica studia exercebant.

Quali Claudius forma digamma finxerit, haec quaestio quanto ad hunc usque diem in errore versata sit inde elucet, quod ex

quattuor eis figuris quibus F litera ad perpendicularum dirigi potest modo hanc modo illam digammi Claudianae fuisse voluerunt. Quae de re verbosius monachi dixerunt S. Benedicti collegio adscripti qui librum 'Nouveau traité de diplomatique' fecerunt II p. 47. F formam Quintiliani et Gellii verbis librarii et editores inseruerunt (cf. Spaldingius ad Quint. I 7, 26 et Lionus ad Gell. XIV 5, 2). F figuram Gorius mus. Etrusc. II p. 415 aliis praefendam iudicavit usque ad id temporis propositis. Tertiam E Ritterus ad Tac. ann. XI 14 et Zellius del. insc. lat. n. 1392 expresserunt. At revera Claudius digamma finxit sic F, cuius formae non Priscianus solus testis est, sed maxime Latinae inscriptiones, in quibus quae exempla reperi, collecta et in literas digesta subscribam: <sup>1)</sup>

ALFEI		18
AMPLIAFIT		3
ARJALIVM	bis	13
AJIOLai		5
BOFe		13
BOFE		13
FEI	bis	11
DFE		9
IOFI		13
IVJENTVTIs		9
LAJINIO		18
oCTAJIAI		10
PRIJATIS		17
SERJILIAI		5
TERMINAJITQue		3
Jerna		24
JALERiam		2
JARENVS		20
JELina		19
JIAM		2
JIr		12

<sup>1)</sup> Numeri post singula vocabula positi ad eas inscriptiones spectant quas capite octavo componam. In falsis titulis quae F literae exempla sunt ea omisi.

ÆIRo	9 bis et 19
ÆISV	5
ÆITELLIVS	7
ÆOÆEMVS	13
ÆOÆIMVS	13
VOÆIMVS	13

Praeterea pergrandis Æ figura in plumbo reperitur quod infra in septimo capite describemus.

Quo anno uti digamma Claudiano coeperint et quando desierint, cum relicua Claudii inventa enarraverimus, peculiaribus tum capitibus agemus. Verum hic locus est ut de C. L. Schneideri sententia mentionem faciamus non esse omnino a Claudio literam istam inventam existimantis. Quod ait intelligi si praeter inscriptiones quasdam quae non in Claudiana tempora incidere viderentur aliquot veterum grammaticorum locos diligentius inspiceremus. Titulos ante Claudium inscriptos in quibus Æ digamma legeretur neque Schneiderus neque alii attulerunt nec vero ego repperi. Grammaticorum autem veterum locos quibus Schneiderus utitur quo facilius vobis hac de re reddatur iudicium cunctos perscribam. Diomedes p. 416 P. 'Huic' inquit, id est V literae, 'item digamma ascribi solet ut cum sibi ipsi praeponitur, ut serFus Fulgus. nam V literam geminari in una syllaba posse plurimi negant.' Quae verba ex maxima parte a Donato p. 1736 repetita Sergius p. 1827 planissime sic interpretatur 'Praeterea et hoc proprium V habet ut digammon sonet i. e. pingue quiddam cum sibi ipsa praeponitur ut seruus uulgus. est autem digammos dicta Graecorum eo quod character eius ex duabus gammis fit e. q. s.' Donatus ad Terent. Andr. I 2, 2 'Et Dauus non recte scribitur, Dauos scribendum quia nulla litera vocalis geminata unam syllabam facit. sed quia ambiguitas vitanda est nominativi singularis et accusativi pluralis, necessarie pro hac regula digamma utimur et dicimus DaFus serFus corFus.' Cledonius p. 1882 'Huic, V scilicet, interdum digammon adscribi solet; alii sic volunt esse digammon. In geminata V gammae duae Graecae literae ponuntur hoc modo . . [F] ut non intelligantur separatae sed iunctae, ne uulgus dicamus; hoc ab Aeolicis processit.' Annaeus Cornutus apud Cas-

siodorium p. 2282 'Est quaedam litera in F literae speciem figurata quae digamma nominatur, quae duos apices ex gamma litera habere videtur. Ad huius similitudinem soni nostri coniunctas vocales digammon appellare voluerunt ut est uotum uirgo. itaque in prima syllaba digamma et vocalem oportuit poni, Fotum Firgo, quod et Aeoli fecerunt et antiqui nostri sicut scriptura in quibusdam libellis declarat. Hanc literam Terentius Varro dum vult demonstrare ita perscribit VAV; qui ergo in hac syllaba sonus est, idem literae erit. Nos hodie V literam in duarum literarum potestatem coegimus, nam modo pro digamma scribitur modo pro vocali. vocalis est cum ipsa per se est (hoc enim cum ceteris quoque vocalibus patitur). si cum alia vocali, digamma est quae est consonans e. q. s.' Ex his locis quippe qui ad Claudianum omnes inventum pertinere non possent, Schneiderus Æ digamma collegit ante Claudium exstitisse. Quamquam enim grammatici ita loquerentur, quasi F litera V consonantis vicem praestitisset, tamen quoniam tunc V et F voces permutatae inter se forent etiam istos figuram cogitasse inversam et pro serFus Fulgus DaFus Fotum Firgo esse serÆus ect. scribenda videri. At veteres grammaticos parum Schneiderus intellexit, cum quae verba apud illos sunt 'V digammon sonat' vel 'V literae item digamma ascribi solet' vel 'alii sic volunt esse digammon' vel similia, eis aliud nil significari appareat nisi 'V litera item consonans est.' Atque Diomedes Donatus Cornutus cum serFus Fulgus ect. scriberent id egerunt ut in huiusmodi vocabulis V literam eandem prorsus vim habere explanarent quam apud Graecos F digamma. Ceterum Schneiderus Cornuti verbis maxime hisce videtur deceptus esse 'itaque in prima syllaba digamma et vocalem oportuit poni, Fotum Firgo, quod et Aeoli fecerunt et antiqui nostri sicut scriptura in quibusdam libellis declarat', e quibus equidem non efficio iam ante Claudium Fotum et Firgo scripta esse, sed hoc potius, antiquissimos Latinos F litera non modo f sonum expressisse Italarum gentium proprium sed etiam eam vocem quam Graeci F nota signabant et Latini V litera posterius comprehendebant. Quam opinionem manifesto Priscianus I 4, 12 p. 11 Hertz. confirmat 'F Aeolicum digamma quod apud antiquissimos Latinorum eandem vim quam

apud Aeolis habuit.' Acceduntque cum aliorum quorundam nominum duplices formae ut Afillius et Avillius, Afarius et Avarius, Falerius et Valerius, Festinius et Vestinius, Fillius et Villius, Folia et Volia, Ofanius et Ovanus, Ofius et Ovius, Ofinius et Ovinus, Prifernas et Privernas, tum figulini operis Velleiatis auctoritas in quo Borghesius Act. Instit. archaeol. 1841 p. 141 hunc esse titulum inscriptum refert L · NAE || CoS · NN || AEM · L · FO, id est 'Luci Naevi consulibus Manio Aemilio Lucio Volcatio' (a. u. c. 688). Nec dubito quin hac ratione explicandum sit quod in multis vocabulis olim Latini aeque atque Aeoles F litera pro adspiratione utebantur velut in fordeo et foedis et aliis quae Mommsenius infer. Ital. dialect. p. 359 congressit.

Sed ut ad id unde degressi sumus revertamur, in similem ut Schneiderus errorem Lipsius ad Tac. ann. XI 14 inductus est qui Varronem ð figuram in literarum numerum adscribi voluisse probaturus testem producit Annaeum Cornutum l. d. 'hanc literam Terentius Varro dum vult demonstrare ita perscribit VAV; qui ergo in hac syllaba sonus est, idem literae erit.' Quibus Cornutus verbis idem quod Priscianus I 4, 20 p. 15 Hertz. significavit, Varronem VAV ostendisse V literae nomen esse.

### Caput secundum.

Alteram literam a Claudio inventam tanta interceptit oblivio ut unus ex veteribus grammaticis et longe inferioris aetatis scriptor, Priscianus I 7, 42 p. 33 Hertz. certum de ea testimonium perhibuerit 'Huic [S] praeponitur P et loco  $\Psi$  Graecae fungitur, pro qua Claudius Caesar antisigma  $\text{OC}$  hac figura scribi voluit.' Discrepat quidem omnino cum Prisciano Marcianus Capella III segm. 245 extr. 'Huic [S] literae divus Claudius P adiecit aut C propter  $\Psi$  et  $\Xi$  Graecas literas, ut P psalterium, ut C sacsa.'<sup>1)</sup> Sed cum prope in omnibus rebus, externam fidem si spectamus, gravior

<sup>1)</sup> 'sacsa' scripturam quae Marciani sententiae unice convenit Koppius vetustas editiones secutus pro hac 'saxa' quae in codicibus est recte restituit.

Marciano certiorque auctor Priscianus sit, tum quae de Claudio Capella scripsit tantum abest ut recte se habeant ut sint inepta. Nam cum quem Marcianus exscripsit grammaticus quemadmodum una litera Romani  $\Xi$  Graecam exprimerent item unam notam pro  $\Psi$  Graeca excogitasse Claudium tradidisset, ipse re male intellecta sententiam hanc proposuit utique contrariam, singulis Graecis literis divum Claudium Romanas substituisse binas ut pro  $\Psi$  scriberetur PS et CS pro  $\Xi$  (cf. Koppius ad h. l.). Quamquam scire debebat  $\Psi$  vocem Romanos PS aut BS literis declarasse semper, solitos esse pro  $\Xi$  Graeca usurpare X notam. Itaque quia Marciani error ante oculos positus erat vix excusari Burmannus ad Suet. Cl. XLI poterit confusis Prisciani et Capellae verbis 'scribendum forte [apud Marcianum] saoca et illud antisigma non in  $\Psi$  Graeca quaerendum, sed in  $\Xi$ ' opinatus. 'nam exempla quae Priscianus adducit, ubi S et P sunt, Arabs caelebs Pelops, nullum dant locum antisigmati, quod est in saxa, si scribatur Claudii more saoca. quare vel Prisciani locus corruptus est vel ille non recte cepisse videtur.' At qua de causa pro  $\Xi$  Graeca Claudius invenerit antisigma, cum iam exstaret qua illam vocem Romani signabant X figura, hoc aut celavit Burmannus aut ignoravit. Verum tamen huius opinionis levitas, modo dilucide de Marciani verbis dixerimus, satis confutata latiore orationem non desiderat. Qui vero librum 'Nouveau traité de diplom.' scripserunt ipsi viderint quo iure in vol. II. p. 49 antisigma fortasse etiam pro SS literis valuisse addiderint quippe quarum in Latina lingua usus latius pateret quam PS et BS vocum. Quam in coniecturam  $\text{OC}$  figura esse inducti videntur qua antisigma Claudianum fuisse codices Prisciani secuti existimabant, etsi aliquanto Graecae linguae peritiores scirent antisigma non esse duplex sigma. Alios denique qui Graecam X literam antisigma aequasse hallucinati sunt (cf. 'Nouv. tr. d. dipl.' l. d.) praeterire silentio praestat.

Iam Marciani testimonio reiecto ad Priscianum redeamus cuius plena verba haec sunt 'Huic [S] praeponitur P et loco  $\Psi$  Graecae fungitur, pro qua Claudius Caesar antisigma  $\text{OC}$  hac figura scribi voluit. sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare, quamvis non sine ratione haec quoque duplex a Graecis addita videatur,

nam multo molliorem et volubiliorem sonum habet  $\Psi$  quam PS vel BS. Hae tamen, id est BS, non alias debent poni pro  $\Psi$ , hoc est in eadem syllaba coniunctae, nisi in fine nominativi, cuius genetivus in bis desinit, ut urbs urbis, caelebs caelibis, Arabs Arabis.' 'antisigma' in Amienensi et Halberstadiensi libris esse ex Hertzii consequitur silentio. Parisinus 7496 'antisima' exhibet, Bambergensis Caroliruhensis 223 Parisinus 7496 sec. m. 'antisimma,' Sangallensis 'antissimma,' Lugdunensis 'antisimma.'  $\text{OC}$  figuram Parisinus 7496 sec. m. tradidit,  $\text{OC}$  idem pr. m. Amienensis Halberstadiensis, x  $\text{O}^{\circ}$  Bambergensis.

His igitur Prisciani verbis Romanam literam Claudium invenisse  $\Psi$  Graecae parem puto intellectum. Nec minus apertum erit quapropter illam notam Caesar literaturae addiderit. E tribus enim literis duplicibus quibus Graeci utebantur  $\Xi$  literam quoad Latinam linguam longissime possumus respicere una X figura Romani notabant. Deinde Z vocem quam primo a Graecis adsumptam post ex literarum ordine expulerant antequam e populi libertate res publica in Caesarum dominationem vertit iterum receperunt. Idcirco etiam tertiam duplicem  $\Psi$  quam Graeci habebant in Romanarum literarum numerum adsciscere Claudio visum est. Alteram rationem a Prisciano adlatam quod 'multo molliorem et volubiliorem sonum  $\Psi$  haberet quam PS vel BS' me fateor non esse adsecutum, et videtur Prisciani commentum, nam in  $\text{A}\psi\text{o}\varsigma$  'Apsus' et  $\alpha\psi\iota\nu\theta\iota\omicron\nu$  'absinthium' quis diversi soni unquam fuisse credet  $\Psi$  et PS vel BS?

Quaenam Claudius verba nova hac litera scribi voluerit cum quaerimus, non PS modo vocis vice antisigma functum esse censeo sed etiam BS, quam ad sententiam Schneiderus quoque grammat. lat. I p. 219 se inclinavit. Non quidem mirer si quis e Prisciano colligat BS voci antisigma non servisse 'nisi in fine nominativi, cuius genetivus in bis desinit, ut urbs urbis', quoniam non alias debeant pro  $\Psi$  poni BS in eadem syllaba coniunctae. At ineptivisse Priscianus videtur cum non in 'urbs' et 'caelebs' et similibus tantum, verum etiam in 'abs' et 'abscendo' et id genus aliis vocabulis B et S una syllaba copulatas  $\Psi$  voci respondisse inde liceat coniectare quod 'aps' et 'apscendo' et huiusmodi scripturas

cum inscriptiones et optimi quique codices tradiderint tum veteres grammatici velut Curtius Valerianus apud Cassiodorium p. 2289 P. praeceperunt. Haec de B et S in eadem syllaba coniunctis. Sed eo progrediendum est ut omnia verba in quibus B et S inter se cohaerent antisigma litera Claudium scribi voluisse contendamus. Nam cum eodem vocis sono BS et PS pronuntiarentur (cf. Schneiderus p. 218) factum est ut 'apsens opsequium supsisto' formae tantum non perinde atque 'absens' cet. moris essent. Iam vero illae si antisigma litera exprimebantur, id quod nemo negabit, nonne etiam 'absens obsequium subsisto' ceteris vocabulis quae per B et S scribuntur omnibus antisigma adhibitum esse per se intelligitur? Quare ne necessarium quidem est ad exemplum quod imitatus Caesar est Graecorum provocare qui  $\Psi$  nota et BC et HC sonos declarabant.

In eis quae supra dixi antisigma alteram literam a Claudio excogitatam appellare non dubitavi, quamquam et de nomine et de figura (nam haec in unam disquisitionem concurrunt) dissensio exorta est. Schneiderus <sup>1)</sup> enim p. 5 not. apud Priscianum 'antisigma' lectionem secutus sic scribendum esse coniecit 'antisigma  $\text{O}$  hac figura'  $\text{O}$  nota in  $\text{OC}$  signi locum substituta quia  $\text{OC}$  facile cum X litera confunderetur et, quod est maius aliquid, hac  $\text{O}$  figura ab Isidoro orig. I 20, 11 aliisque doceremur antisigma apud Graecos fuisse, quod cur Claudius mutaret nullam fuisse causam. His a Schneidero in adnotatiuncula verecundius propositis Krehlius ed. Priscian. II anal. p. 510 extr. et Ephem. lit. Lips. 1821 n. 62 p. 496 ita repugnabat ut 'antisigma' vocabulum quod in nullo librorum a se collatorum legeretur editorum errore in Prisciani orationem inlatum esse adseveraret. Ipse autem ex 'antisima antissima antisimma' lectionibus hanc expiscatus est  $\alpha\psi\iota\sigma\mu\alpha$  quo verbo ex  $\alpha\psi\iota$  et  $\sigma\mu\omicron\varsigma$  vocabulis composito intelligi vult 'characteres lunatos aversis cornibus compositos.' itaque  $\text{OC}$  figuram sive  $\text{OC}$  Heidelbergensi suo codice traditam tanquam veram defendit. At contra Krehlium

<sup>1)</sup> Multo ante Schneiderum eam coniecturam Baudelotius de Dairval praeceperat in libro 'de l'utilité des voyages' quo per Iahnium uti mihi licuit tom. II p. 134 (ed. Rotomag. 1727), ubi praeter inepta multa quae referre piget unum hoc reperitur verum.

Osannus *Miscell. crit. ed. Friedem. & Seebod. vol. I fasc. 1 n. 7 p. 83* et *Anecdot. Rom. p. 159* sententiae a Schneidero de huius literae nomine figuraque apertae patrocinium suscepit, nam multae rationes simul concurrunt quibus Krehlii opinio redarguatur. Ut graviora tantum recenseam, primum *ἀντίσιμος* vocabulum cum in literarum monumentis non reperiatur non videtur exstitisse. Deinde ut apud Graecos exstiterit, num cogitari potest prorsus insolenti et inusitato verbo eam Claudium literam significasse quam in vulgari esse usu voluerit? Tum quod 'per vocem *συμός* intelligi signum vel characterem sive notam lunulae formam referentem' Krehlius dixit id neutiquam verum est neque *ἀντίσιμα* sunt 'characteres lunati.' Quibus argumentis alia Osannus et qui Krehlianam Prisciani editionem in *Ephem. lit. Ien. 1822 n. 236 p. 429* iudicavit addiderunt. Quae cum ita sint optime ad Schneideri coniecturam nos rettulerimus qua Prisciani verba sic emendavit 'antisigma  $\oslash$  hac figura.' Nam quod in plurimis libris ipsum 'antisigma' verbum non distincte expressum legitur id habendum pro nihilo est quoniam 'simma' scripturam pro 'sigma' voce per medium aevum usu receptam fuisse DuFresnius *glossar. ad script. med. et inf. Lat. in v. 'simma'* ostendit. Hac vero  $\oslash$  figura antisigma fuisse ut ex Isidoro aliisque testimoniis quae commemorata videsis apud Osannum *Anecd. Rom. p. 157* ita ex ipso apparet nomine.  $\oslash$  autem nota quemadmodum in Prisciani orationem inreperit facile perspicitur. Ut enim antisigma explanarent sigma esse in contrariam partem versum,  $\oslash$  figurae adscripserunt C sigma, quae notae post in unam  $\oslash$  ( $\oslash$ -C  $\oslash$ -C  $\oslash$ ) confundebantur. Ceterum cur  $\Psi$  Graecam Claudius non servaverit difficile quidem ad indagandum est, tamen haud absurde existimes affectasse eum  $\oslash$  litera inducta gloriam novitatis.

Quoniam PS et BS voces in Latino sermone haud ita frequenter usurpantur, hoc mirandum non est quod nullum antisigma Claudiani ad nostram memoriam exemplum mansit. Vestigia tamen eius inventi deprehendisse mihi in una inscriptione videor quam in septimo capite describam. Nam cum in publica tabula e qua hic titulus transcriptus est DIPSCVRTO nomen bis sic DIOCVRTO legeretur, is qui transcripsit bis DIOPSCVRTO ita videtur in-

sculpsisse ut et  $\oslash$  notam quae in archetypo erat et PS consonantes quae  $\oslash$  nota significabantur exprimeret, quo facto postea  $\oslash$  figuram inter I et P literas interpositam erasit. Neque enim aliam rationem habeo qua lacunam unius literae in eodem vocabulo bis repetitam interpreter.

Pariter atque  $\mathfrak{I}$  digamma iam ante Claudium exstitisse Lipsius et Schneiderus putarunt, Seyfertus *gram. lat. I p. 137* antisigma litera quosdam statuit usos esse temporibus Augusti. Cum enim tradidisse aliquos Suetonius *Octav. LXXXVIII* narret imperatorem Augustum legato consulari successorem dedisse ut rudi et indocto qui 'ixi' pro 'ipsi' verbo scripsisset, Seyfertus IOCI legati manu scriptum ita esse arbitratur ut  $\oslash$ C figura PS vocem expresserit. At neque  $\oslash$ C figura antisigma erat nec propter novatam literam sed quia vitiose X pro PS voce scripserat legato munus abrogatum est. Nam 'ixi' verbum quod in tantam cecidit Augusti offensionem inde ortum esse conicio quod P litera ut apud Oscos ita in Latino sermone saepius cum C et G et Q sonis commutabatur (cf. Schwenckius *N. Mus. Rh. I p. 444* et Mommsenius *inf. Ital. dial. p. 223*). Itaque potest accidisse ut plebei et rustici homines non 'ipsi' sed 'iesi' vel 'ixi' dicerent, quod homo urbani sermonis ignarus etiam scribendo imitatus ab Augusto expulsus esse potestate ferebatur.

### Caput tertium.

De tertio Claudiani ingenii exemplari superiores inde a renatis literis grammatici supra quam credibile est ariolati sunt. Non fugerunt quidem Lipsii ad *Tac. ann. VI 14*, Vossii *Aristarch. l. d.*, aliorum sagacitatem corrupta Velii Longi verba *p. 2235 P.* 'de viro vero et virtute ubi I scribitur et paene V enuntiatur, unde Ti. Claudius novam quandam literam excogitavit e. q. s.', sed corruptum eum compellasse locum Vossius satis habuit, Lipsius 'in prioribus de Aeolico digamma saltem Velium egisse se scire' dixit, nimirum VIR et VIRTUS exemplis a Longo adlatis inductus ut



non de incognita novaque litera Claudiana istis verbis Velium narrasse existimaret sed de  $\text{I}$  digamma per quam  $\text{AIR}$  et  $\text{AIRTVS}$  scriberentur (cf. Schneiderus p. 6 not.). Quid quod ex eodem Velii loco M. Vertranius Maurus excogitasse Claudium quandam literam conclusit qua R vox mitigaretur et molliretur (cf. 'Nouv. tr. de dipl.' l. d. not. 1)? Unus nescio quis inscriptiones Claudianae aetatis in auxilium vocavit, in quibus quod  $\text{ANTONIAI CAISAR OCTAJIAI}$  similia legerentur  $\text{AI}$  diphthongum invenisse Claudium credidit. quam sententiam infra videbimus haud omnino vanam fuisse, etsi recte Lipsius et Vossius et Torrentius (ad Suet. Cl. XLI) hanc  $\text{AI}$  diphthongum cum in monumentis multo ante Claudium factis reperiretur non inventam a Claudio esse animadverterunt. Plerique autem et Velio Longo et inscriptionibus prorsus neglectis quatenus esset tertia litera adsequi coniecturis tentabant. Erant qui R literam in Latinum sermonem a Ti. Claudio inductam esse vellent perperam Pomponium ut videtur interpretati  $\text{ICTum}$  qui Dig. I 2, 2 segm. 36 de Appio Claudio ipsum illud tradidit (cf. 'Nouv. tr. de dipl.' coll. Schneidero p. 341). Nec minus Curius Lancilotus Papius de arte gram. lib. III c. 6 falsus est cum Z literam 'quam Augusti tempore a Graecis Latinos mutuatos esse Papirianus narraret, alios inventam a Caesare Claudio prodidisse' diceret (cf. Seyfertus gram. lat. I p. 14). Lipsius quia e libro quem de grammatica Varro scripsit apud Cassiodorium p. 2286 P. haec proferuntur 'Literarum partim sunt et dicuntur ut A et B, partim dicuntur et non sunt ut H et X, partim sunt neque dicuntur ut  $\Phi$ .  $\Psi$ ', ut  $\Psi$  ita  $\Phi$  quae literae Varrone teste necessariae fuissent excogitasse Claudium duxit, Vossius nullum PH literae quod uti F pronuntiaretur apud Latinos usum fuisse opinatus aut X aut  $\Theta$ . Verum inepte Robbigius in codice crit. I. I c. 6 tres sibi literas deprehendisse has videbatur digamma iota vau (cf. Burmannus Suet. l. d.), cum digamma in locum vau consonantis substitutum esse manifesto apparet. I autem consonans ab eis quoque pro Claudiana litera habita est qui librum 'Nouveau traité de diplom.' conscripserunt, at recte Vossius I consonanti figuram ideo non quaesivisse Caesarem observavit 'quia ea Graeci carerent.' Burmannus quod antisigma vicem  $\Xi$  Graecae praestitisse contendit praeter antisigma et digamma eam

statuit notam Claudium invenisse qua  $\Psi$  vox declararetur. E contrario alii qui in  $\Psi$  literae vicem adsumptum antisigma esse cognoverant X (=  $\Xi$ ) tanquam tertium inventum Caesari adseruerunt (cf. 'Nouv. tr. dipl.'). Denique indiligentia eorum levitasque perstringenda est qui quamquam tertiae literae vis et natura iam dudum patefacta erat tamen non satis de ea liquido constare caussabantur.

Indagavit tertiam literam Claudianam primus omnium ac pervestigavit Taylorus 'marmor Sandvicense' Cantabrigiae anno 1743 commentatus p. 46, deinde post aliquod temporis spatium G. Brotierus cum ad Tac. ann. XI 14 'de literis a Claudio inventis' scriberet et Seyfertus gram. lat. I p. 99, suo ut videtur uterque iudicio usus, quibus quartum adiungas Schneiderum gram. lat. I p. 6 qui cum Brotierus et Seyfertus Velianis verbis in errorem quem postea commemorabimus inducti essent Taylorum omnino secutus est.

Velius quibus de tertio hoc Claudii invento rettulit verba apud Putschium p. 2235 haec sunt 'Aurifex melius per I sonat quam per V, ut aucupare et aucupium mihi melius videtur sonare per V quam per I, et idem tamen aucupis malo quam aucupis, quia scio sermonem et decori servire et aurium voluptati, unde sit ut saepe aliud scribamus, aliud enuntiemus, sicut supra locutus sum. De viro vero et virtute, ubi I scribitur et paene V enuntiatur, unde Ti. Claudius novam quandam literam excogitavit, similem ei notae quam pro aspiratione Graeci ponunt, per quam scriberentur eae voces quae neque secundum exilitatem literae neque secundum pinguitudinem literae sonant, ut in viro et virtute, neque rursus secundum latum literae sonum enuntiarentur, ut in eo quod est legere scribere. Itaque audimus quosdam plena omni syllaba quod et tibi pro cui et tibi, quod multo vitiosius est, quam si tenuitatem I literae custodirent.' Haec ad emendanda verba quamquam ms. libros speraveram mihi operam suam commodaturos esse tamen in eis prope nil erat auxilii. H. enim Keilius a Fr. Ritschelio rogatus qua est humanitate certior me fecit in cod. Vaticano 3402 quocum non modo alterum exemplar Vaticanum exacte sed universe etiam relicua exemplaria congruerent nullam scripturae esse discrepantiam nisi hanc ut 'de viro et virtute, ubi I scribitur,' verba legerentur adscriptumque in margine esset 'f. viro.' Qua re luculenta

Taylori confirmatur haec emendatio 'sicut supra locutus sum de viro et virtute, ubi', nam respicit haud dubie ea Longus quae supra p. 2219 P. locutus erat 'Nam quibusdam literis deficiamus quas tamen sonus enuntiationis arcessit, ut cum dicimus virtutem, et virum fortem consulem Scipionem esse, pervenisse [sic Schneiderus p. 21, Putschius 'periisse'] fere ad aures peregrinam literam [id est  $\mathcal{T}$  Graecam] invenies.' Idem Taylorus 'neque secundum exilitatem literae neque secundum pinguitudinem literae' verbis I et V literas vidit inserendas esse, etsi parum recte 'sec. exil. literae I' et 'sec. ping. literae V' Taylorus et Schneiderus scripserunt, quoniam talia Velius ita consuevit collocare 'I literae' et 'V literae.' Praeterea Schneiderus p. 22 pro 'unde sit ut' correxit 'fit' et pro 'quae neque — sonant neque — enuntiarentur' 'sonarent.'

Iam levioribus his expeditis maxima est in postremo enuntiato difficultas a sententia. Quasnam per novam literam Claudius scribi voces voluit? 'quae neque secundum exilitatem I literae neque secundum pinguitudinem V literae sonarent, ut in viro et virtute, neque rursus secundum latum literae sonum enuntiarentur, ut in eo quod est legere scribere.' Proxima verba cum Taylorus 'fortasse maculosa' esse adnotasset, Schneiderus pro 'legere' censuit 'dicere' restituendum esse vel simile vocabulum in quo I vocalis esset producta. Ut enim 'scribere' Velius tanquam exemplum proposuit in quo latus inesset literae sonus, ita 'legere' librarii in eius locum vocabuli substituerunt quod secundum latum literae sonum enuntiaretur. Atque cum in priore totius sententiae parte 'neque secundum exilitatem I literae neque secundum pinguitudinem V literae sonarent' I et V literas Longus ut duas res aequales composuerit, 'latum literae sonum' non modo ad productam I spectare mihi persuasi sed etiam ad productam V vocalem. Quare posteriorem enuntiatum illius partem sic emendo 'neque rursus secundum latum literae sonum enuntiarentur, ut in eo quod est lugere scribere', ut eadem existat sententia quam Sergius Donati interpretis p. 1827 P. proposuit 'nam invenimus ubi [I et V] sonum explicent suum ut virus et rumor.' Haec verba postquam restituimus, ilico ea quae antecedunt 'ut in viro et virtute' perspiciemus non posse ferri. Nam acquata inter se sunt respondentque 'ut in viro et

virtute' et 'ut in eo quod est lugere scribere.' Atquin 'lugere' et 'scribere' secundum latum literae sonum enuntiabantur nec per novam literam Claudianam scribebantur. Itaque pro 'viro et virtute' vocabulis quae Velius quidem ambiguum inter I et V sonum habere videbantur ea oportet restituantur quae secundum exilitatem I literae et secundum pinguitudinem V literae enuntiata sint. Tota igitur verba Veliana non omnibus purgata corruptelarum sordibus esse verum aliquanto tamen emendatius sic legi iudico 'unde Ti. Claudius novam quandam literam excogitavit similem ei notae quam pro aspiratione Graeci ponunt, per quam scriberentur eae voces quae neque secundum exilitatem I literae neque secundum pinguitudinem V literae sonarent ut in [eo quod est bibit pudet], neque rursus secundum latum literae sonum enuntiarentur ut in eo quod est lugere scribere.'

Apparet igitur e Velii verbis novam quam Claudius invenit literam mediis inserviisse inter I et V vocibus quae neque secundum exilitatem I literae neque secundum pinguitudinem V literae neque secundum latum I aut V vocalis sonum enuntiabantur. Nam satis multa apud Romanos verba erant in quibus I et V vocales non expressum suum sonum haberent sed  $\mathcal{T}$  Graecae, qualia sunt optimus s. optumus, libido s. lubido, existimat s. existumat, clipeus s. clupeus, alia. cf. Velius Longus p. 2219 P. (v. pag. 16) et Marius Victorinus p. 2465 'Sunt qui inter V quoque et I literas supputant deesse nobis voces, sed pinguius quam I, exilius quam V: sed pace eorum dixerim, non vident  $\mathcal{T}$  literam desiderari: sic enim gylam myserum syllabam proximum dicebant antiqui' et alii grammatici quorum diligentissime Schneiderus inde a p. 19. testimonia congescit. Ipsam autem  $\mathcal{T}$  vocalem germani ingenuique Romani etsi a Graecis quoties illorum nominibus utebantur solebant mutuari, in Latinis tamen verbis loco V aut I literarum ubi  $\mathcal{T}$  Graecae sonum haberent poni quaedam quasi religio incessit (cf. Quintilianus XII 10, 27). Iam vero Claudius id egit ut medium hunc I et V literae id est  $\mathcal{T}$  vocis sonum qui erat in Latino sermone signaret et exprimeret, verum non  $\mathcal{T}$  notam qua Graeci utebantur servavit, sed aeque ac O figuram in  $\Psi$  Graecae locum substituerat novam quae  $\mathcal{T}$  Graecae par esset literam excogitavit.

Qua litera non Latina modo vocabula quorum medius esset inter I et V sonus scribi voluit sed etiam Graeca nomina quibus antea  $\Upsilon$  Graecam adhibuerant, id quod et ex rei ipsius natura conficitur et inscriptionibus Latinis adeo comprobatur ut nullus restet scrupulus, unde quae apud Schneiderum p. 24 leguntur perperam patet disputata esse.

Nomine quo tertiam hanc literam Claudius appellaverit non traditum nobis est, qua autem formaverit figura his Velius verbis significat 'literam similem ei notae quam pro aspiratione Graeci ponunt.' F vero nota aspirationis Graecos usos esse sexcenti lapides nummique declarant ubi  $\text{FAIPE}\theta\text{ENTES FEAENIT}\omega\text{N IHPAKAI}\omega\text{N FTHEP}$  similia leguntur. cf. Franzius elem. epigr. Gr. p. 43 et fusius hac de re disputans Taylorus l. d. p. 44. <sup>1)</sup> Eandemque F literam tertiam fuisse a Claudio inventam luculenter Latinis inscriptionibus confirmatur, in quibus haec sunt exempla:

AEGIPTI	1	id est Aegypti
BATHLLVS	8	Bathyllus
BFB	8	bibliotheca
•HRISAO•	8	Chrysaor
CRF	12	crypta
CFCNVS	15	Cyenus
•IRFBIVS	22	Eurybius
GIBER	8	gubernator
MIRO	8	Myro

<sup>1)</sup> Taylorus p. 48 'signum' inquit 'non ab Aeolensibus mutuo sumptum, verum a communi Graecorum adspiratione; F scilicet, quam etiam notam (quasi verbis meis non satis fidei esset adhuc elaboratum) in antiquissimis Velii codd. haesisse his verbis audio.' In codice a Keilio collato (v. p. 15) non exstare F nota videtur. Taylorus quosnam intellexerit libros Velianos nescio; fortasse Vertrānii Mauri commentarium ad Tac. ann. XI in animo habuit qui 'se legisse' narrat 'Romae apud Velium Longum in libro de orthographia MSC. apud Strossium literam novam a Claudio excogitatam, similem ei notae, quam pro aspiratione Graeci ponunt .F.' (cf. Funccius de immin. Lat. ling. senect. p. 52).

Ceterum F pro aspirationis signo etiam in Latinis et libris (cf. Iahnus proleg. Flor. p. XXXII) et inscriptionibus (velut Momms. I. N. 6303, 9) saepius reperitur.

NIMPHIVS	8	id est Nymphius
PHLADES	21	Pylades
ZOPHRVS	23	Zopyrus

quibus alia eum additurum fore confido si cui contingat ut Claudianae aetatis omnes inscriptiones accurate habeat expressas. cf. adnot. ad tit. 16. In istis autem nominibus praeter bibliothecam et gubernatorem omnibus per F notam expressa  $\Upsilon$  Graeca est. Cum vero et in ea inscriptione ubi BFB legitur bis bibliotheca sic BYB notata sit et in aliis titulis haud paucis (Orell. 40 41 Henzen. III. vol. Orell. 6271 6272 6273 6282 6306 6307) bybliothecca pro bibliotheca exstet, etiam in BFB apparet F literam vicem praestare Y vocis. Item in eo quod iam unum restat 'gubernator' vocabulo GIBER nota declaratur solitos esse medio inter I et V vocales sono 'gybernator' pronuntiare, quod cum Graeco  $\kappa\upsilon\beta\epsilon\rho\nu\acute{\eta}\tau\eta\varsigma$  verbum inscriptionibus potissimum eis comprobatur in quibus ipsa GYBER. vel GYBERN. scriptura exarata est Momms. I. N. 2699 et 2700 coll. ibid. 2696 EXGYBERN. et 2664 ARCHIGYBERNI.

Restat ut paucis errorem redarguamus Brotieri et Seyferti, qui cum apud Longum vulgo haec legerentur 'ut in eo quod est legere scribere', non modo ad medium inter V et I sed etiam ad medium inter E et I sonum exprimendum F literam adhibitam esse statuerunt, quem in errorem eo poterant magis induci quia Velius p. 2235 modo huc modo illuc evagatus non solum de vocibus inter V et I ambiguis agit sed etiam nonnullas de E et I literarum vicibus observationes commiscet. Seyfertus ipsam F figuram vocavit in auxilium ut quae I totam et partem E literae complexa mediae inter E et I voci accommodatior quam mediae inter V et I esset, potuitque subicere eadem F litera Oscos reapse consuevisse medium inter E et I sonum  $\text{ï}$  significare. At tota mehercule via Brotierus et Seyfertus erraverunt. Nam ut omittam quod et Velianae contextus enuntiationis prorsus isti opinioni repugnat neque illis 'secundum latum literae sonum' E et I literae indicantur quod sibi Seyfertus persuasit nec fieri omnino potest ut in legendi et scribendi verbis medium E et I literae sonum fuisse cum Seyferto existimemus, ut taceam denique inscriptiones in quibus vocem inter V et I mediam F nota expressam saepius videmus, nunquam

mediam inter E et I, hoc unum libet quaerere num cogitatione possit comprehendi duas voces ex omni parte diversas (nam eequae voces magis inter se differunt quam ea quae est inter E et I vocales ambigua et ea quae est inter V et I?) duas igitur has voces Claudium scribi litera voluisse una et eadem? Simile igitur aliquid antequam commonstretur, nostro credo iure hac re poterimus supersedere ut pluribus Brotieri Seyfertique opinionem confutemus.

### Caput quartum.

Tres literas Claudium Romanae literaturae addidisse Tacitus et Suetonius memoriae prodiderunt, tres literas grammatici commemorant a Claudio inventas, quarum prima et tertia in compluribus adhuc inscriptionibus conspiciuntur, alterius non apparent nisi in uno titulo vestigia. Quartum autem tribus istis inventis hoc addendum est quod AE diphthongo Claudius abolita A et I literas substituit, cuius rei non Tacitus Suetonius grammatici testimonium perhibent sed inscriptiones. Nam quod primum est in publicis titulis quibus Claudianae literarum formae inscriptae sunt omnibus ubique AI syllaba, AE nusquam reperitur. Sic in titulis 2 3 4 ter CAISAR et in titulis 9 10 11, qui cum unam inscriptionem efficiant non debent sciungi, haec leguntur:

AGRIPPINAI  
ANTONIAI  
AVGVSTAI  
CAISARI  
CAISARIS  
CAISARIS ter  
IVLIAI  
oCTAJIAI  
PATRIAI

Sic in inscriptione 6 a Vespasiano vel Tito renovata et instaurata tamen v. 1 CAISAR scriptura servata est. Quod vero in titulo

17 v. 4 QVAE Maffei legi tradidit, in hac re ne erraverit subvercor, nam in ipso lapide eodem modo QVAI insculptum esse opinor quemadmodum in versu inscriptionis 18 octavo est. Sin autem re et veritate QVAE in monumento reperiri declaretur, id certe scio non minus quam PRAEF. quod in titulo 18 v. 3 semel iuxta ter repetitam PRAIF. scripturam incisum est lapidarii adsignandum esse imprudentiae.

Verum non publicis modo sed etiam aliis Claudianae aetatis monumentis non nullis AI diphthongum adhibitam esse haec exempla ostendunt: <sup>1)</sup>

AGRIPPINAI	14
cAISARIS	14
CAISARIS	14
CAISARIS	15 et 16
GAITVLorum	18
INVICTAI	5
MAIDIVS (M. Aedius)	5
PRAIFectus ter	18
PRAISVL	18
QVAI	18
SERJILIAI	5

Quae cum ita sint A et I vocales in AE diphthongi locum subrogasse Claudium patet. Qua in re cum exquirerem quid secutus esset, haec primo coniectura animo meo obiecta est, priscum sermonem imitando effusum in antiquitatis studia Claudium

<sup>1)</sup> Ne tamen eas inscriptiones in quibus AI diphthongus comparet velut Fabretinas 254, 56: TI · CLAVDIVS · NOSTVS | CORNELIAI · VOLVPTATI | CONIVGI OPTIMAE · ET · FIDELISSIMAE | ET · KARISSIMAE · FECIT et 363 XVI: D · M | TIBERIVS · CLAV | DIVS · PRIMVS | CVLLIBERTAI SVAI · CLAVDI | AI · GENESINI · | BENE · MERENTI ea ipsa de causa ad Claudiana tempora referamus, Orelliani 488: Q · CAICILIO | CISIACO · SEPTICIO | PICAI · CAICILIANO | PROCVR · AVGVSTOR · ET | PROLEG · PROVINCIAI | RAITIAI · ET · VINDELIC | ET · VALLIS · POENIN · AVGVRI | FLAMINI · DIVI · AVG · ET · ROMAI et 3538: AL · CIMACHVS | NERONIS CLAVD | CAISAR · et Gruterianus 109, 7: IMP · VESPAS · VI | CAISARE · TITO · IIII | COS. et alii tituli vetant.

exprimere voluisse, qua sententia praeter alios fuisse Zellium video in enchiridio epigr. Rom. II p. 220. Post autem aliam rationem quae quidem verior esse mihi videretur Quintilianus instit. orat. I 7, 18 his verbis suppeditavit 'AE. syllabam cuius secundam nunc E. ponimus varie per A et I efferebant, quidam semper ut Graeci, quidam singulariter tantum cum in dativum vel genitivum casum incidissent unde pictai vestis et aquai Vergilius amantissimus vetustatis carminibus inseruit.' Graecam linguam magna Claudium admiratione celebrasse et Suetonius docet Cl. XLII pr. 'Nec minore cura Graeca studia secutus est amorem praestantiamque linguae occasione omni professus e. q. s.' et novae tres literae quas a Graecis sumpserat, nempe digamma Claudianum Graecae *F*, anti-sigma Graecae *Ψ*, tertiam *F* literam Graecae *Υ* respondere cognovimus. Quid igitur veri potest similius esse quam quartum quoque inventum e Graeca lingua Caesarem repetivisse? Atquin eam vocem quam coniunctis A et E literis Latini declarabant Graeci iam antiquitus A et I vocalibus exprimebant. cf. Mehlhornii grammatica graeca (a. 1845) p. 22. Qua re Graecis Claudium quorum potiore linguam praestabilioremque habebat auctoribus usum AI syllaba ut pro A et E literis scriberetur praecepisse suspicor. Potestque ut Quintilianus 'quidam semper ut Graeci [AE per A et I efferebant]' ipsum hoc Claudii inventum in animo habuerit. Tacitus vero et Suetonius quod non mentionem nisi de tribus fecerunt literarum formis a Claudio inventis, id nemini puto mirum fore. Nam novas prorsus insolentesque *Α* *Ο* *Ι* literas notabiles habuerunt dignasque historia, neglexerunt AI diphthongum a Claudio inductam utpote quae et ante et post Claudianam aetatem saepius usurparetur.

**Reliqua huius commentationis capita quattuor quibus Claudianorum inventorum limitatur usus consignataque literis Claudii monumenta effinguntur propediem apud librarium eundem Elberfeldensem edentur.**

## V i t a.

Natus sum Franciscus Buecheler Rhenobercae a. d. III. nonas Iunias anni CIOIOCCCXXXVII patre Antonio apud Gochenses nunc iudice, matre Dorothea Hebestreitia. Fidei addictus sum catholicae. Ingenuarum elementis artium a Iosepho Crumpio, viro in primis colendo, imbutus gymnasiis quattuor per annos Essendiensi et Cliviensi utebar, ubi quos praecceptores doctissimos integerrimosque patronos expertus sum, Baueri Cadenbachii Fleischeri Helmkii Tibusii Wilbergi nomina grato semper animo prosequar. Anno CIOIOCCCLII exeunte humanitatis studiis atque literarum antiquarum me traditurus in Rhenanam hanc academiam migravi, philologicarum copiarum quasi arcem. Per septies autem sex menses operam dedi Bernaysio Brunnio Calkero Delio Heimsoethio Iahnio Knoodtio Loebellio Monnardo Ritschelio Rittero Schmidtio Schopeno Welekero. Quos viros egregie de me meritos esse non medioerem animo voluptatem cepi quod publice testandi nunc mihi potestas facta est. Maximam vero gratiam tum Welekero et Ritschelio habeo qui ad regii philologorum seminarii sodalitatem duobus annis abhinc eximia me benevolentia adscripserint, tum Schopeno et Iahnio qui propensa voluntate et auctores consiliorum et adiutores mihi exstiterint.

## Thema.

- I. Hesiodum theogoniae prooemium, quantum quidem adsequi liceat, hos fere versus videtur comprehendisse: 1—4, 22—24, 26—30, 33—35, 104, 108—110, 105—107, 112, 113.
- II. Agamemnonis Aeschyleae v. 289 sic scribas: *ᾠτρυνε θεσμόν μῆγαρ ἴζεσθαι πυρός et θεσμόν* vocabulum secundum Hesychium interpreteris: *θεσμούς τὰς ξυνθέσεις τῶν ξύλων.*
- III. Bion Smyrnaeus non veneno interemptus est.
- III. Moscheum versum III 13 ed. Ahrens. talem olim fuisse existimo: *ἂ τέπει προφέοισα τὸν αἰπόλον, οὐχὶ ταράσσει.*
- V. Saturnii numeri etiam post Ennium duraverunt.
- VI. Fabretinum 283, 181 titulum ita corrigo 'Ita lévis incubat térra defunctó tibi Vel ássint quieti cíneribus manés tuis Rogo, né sepulcri víolare umbras áúdeas.'
- VII. In glossario bibliothecae Parisinae antiquissimo ab Hildebrando vulgato quae glossa p. 143 v. 134 legitur, eam conlato Varrone L. L. V 86 sic emendes 'fidus, pax (pacs) perpetua vel amicitia.'
- VIII. 'Puer' antiquitus 'pover' dicebatur, quam formam editae in Actis Academiae Vindobonensis cl. philos. et hist. 1854 XIV p. 135 inscriptionis senarius alter exhibet 'Seném severum sémper esse cóndecet, Bene débet esse póvero qui discét bene.' E 'povero' et 'por' natum est (cf. Gaipor Marcipor Publipor) et 'puer.'
- VIII. Acta diurna populi Romani eodem anno coepta sunt quo pontificum annales confici desierunt, id est anno u. c. 623.
- X. 'Boethi, quamquam argento melioris, infans vi annis anserem strangulat' Plinius N. H. XXXIV 8, 19, 84.
- XI. Flori I 12, 1 verba in hanc sententiam restituenda sunt 'repente coniurantes accersitis [Gallis Romam ire contendunt, acervus] .ingens.'
- XII. Criticam et hermeneuticam artes non esse nisi altiorum philologiae disciplinarum fundamenta censeo.







MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the  
“Foundations of Western Civilization Preservation Project”

Funded by the  
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from  
Columbia University Library